

„Filius vnicus.“ Haec appellatio describit naturam diuinam Christi. Ideo autem vocatur Filius, quia ab aeterno genitus est de essentia aeterni Patris. „Vnicus“ – idem est quod „vnigenitus“, Iohan. 1 et 3 et „proprius“ Roma. 8<sup>101</sup> – discer- nit Filium Dei ab electis, qui sunt filij Dei adoptione vt Iohan. 1 „Dedit eis potes- tatem filios Dei fieri.“<sup>102</sup> Christus enim natura est Filius. Nos gratia. 5

[62:] „Dominum nostrum.“ Monet haec appellatio de applicatione benefi- ciorum Christi. Est enim Christus Dominus noster I. iure creationis, quia per ip- sum sumus conditi ad imaginem Dei, II. iure redemptionis, quia, cum nos in peccatis nascamur propter naturae nostrae corruptionem, quae lapsum Adae secuta est, ipse se dedit precium redemptionis pro nobis et nos a maledictione legis, ira Dei, peccato, morte et regno 10 diaboli precioso sanguine suo redemit, vt simus <sup>m</sup>peculiaris ipsius populus,<sup>m</sup> III. ratione defensionis et glorificationis, quia exaltatus ad dexteram Patris perpetuo colligit sibi ecclesiam, gubernat, defendit et glorificat in tota aeternitate.

<sup>m-m</sup> peculium ipsius: D, F, G.

<sup>101</sup> Joh 1,14; 3,16; Röm 8,32.

<sup>102</sup> Joh 1,12.